

producenti, nec eam auget, aut minuit; et similiter quod omnes illos effectus simul producat, non exigit infinitatem simpliciter, sed virtutem ad omnia quæ sunt illius speciei, et applicationem materiæ ad omnia illa requisitæ, quæ si non detur, non ex defectu virtutis desinent illa produci, sed ex defectu materiæ, et ita eandem virtutem supponunt in agente, ac si infinita producerentur, et illa tota categorematice, et simul existit in subjecto, licet effectus successive producantur.

XXXV. Quare ratio D. Thomæ est quæ efficaciter probat infinitatem potentiæ divinæ, non quidem ex infinitate objectorum possibilium: est enim id probare per aliquid ignotius: unde enim constat hæc objecta esse infinita? Præsertim cum possibilitas eorum non præsupponatur ad essentiam divinam, sed ex participatione ejus derivetur. Quare ut efficacia rationis D. Thomæ perspicua sit, sic explicari debet. Deus habet esse seu essentiam infinitam: ergo est infinitis modis imitabilis et participabilis, quia nullum finitum, nec finitus numerus perfectionum potest adæquare infinitam perfectionem, et essentiam, quam Deus habet: ergo si a finitis et limitatis creaturis participabilis est, ut participari videmus, oportet quod infinitis viis participabilis, et imitabilis sit, quia in se infinitæ perfectionis est. Rursus ergo potentia executiva talis essentiæ, infinitæ virtutis est. Patet, tum quia potentia executiva in primo ente non est accidens, sed ipsamet substantia, et essentia Dei, et ita si essentia est infinitis modis participabilis, ista est infinitis modis executiva; tum quia etiam si esset distincta, est una: ergo tam infinita est in exequendo, et agendo per modum virtutis, sicut essentia per

modum continentia, et radice. Ratio ergo D. Thomæ probat infinitatem potentiæ in activitate, et virtute operativa ut virtus est, et infinitatem in objectis possibilibus, quia horum possibilitas, et imitabilitas infinita ex infinitate essentiæ desumitur.

An vero ex creatione, seu modo operandi ex nihilo, et modo conservandi creaturas cum tanta dependentia, quod ex suspensione concursus possint creaturæ annihilari, probetur infinitas in modo operandi, et consequenter in virtute et potentia operativa, dicemus circa quæstionem XLV, infra agendo de creatione.

XXXVI. Et nota quod ex ratione D. Thomæ sic intellecta infertur infinitas potentiæ, tam intensiva, quam extensiva. Nam infert infinitam participabilitatem, et infinitos modos participationis in re creata, seu ente finito ab infinita continentia, et imitabilitate Dei. Inter modos autem participabilitatis, et est intensio, et extensio: qui enim potest omnia, potest omni modo, quia in ly omnia, etiam modi includuntur: hi enim etiam ad participationem Dei pertinent. Differunt tamen infinitas intensiva, et extensiva potentiæ, quod infinitas extensiva respicit numerum, seu multitudinem rerum producibilium, intensiva autem respicit graduationem majoris ac majoris perfectionis sine termino, tam in eadem specie, seu genere (sicut calor potest magis ac magis intendi) quam in diversis, sicut una species aut genus graduatur supra alia. Et totum hoc habetur ex diversa participatione, et imitatione Dei, qua secundum diversos gradus seu perfectiones imitabilis est ab infinitis rebus. Intentio autem virtutis non ex parte effectuum producibilium, sed ex parte efficacitæ ipsius actionis, et modi operandi sumitur, per

non ex parte actionis, ut est in operante, sed ut attingit effectum, ut optime dicit S. Thomas quæst. I de potentia, art. III, quia ut est in operante, est idem cum entitate divina: et sic semper est infinita, nec potest intendi, aut remitti, vel diversas graduationes habere. Potest autem secundum quod attingit effectum, diversas graduationes in perfectionibus dandis attingere; et sic magis intensive usque in infinitum operari; quod totum provenit ex diversa participabilitate, et imitatione divinæ perfectionis, quæ etiam diversa graduatione perfectionum imitabilis est, sicut et diversa extensione, seu numeratione rerum producibilium, quia data qualibet, potest alia fieri in numero, et extensione, sicut in intensione, qualibet perfectione graduata, potest alia majoris graduationis fieri. Videatur D. Thomas citata quæstione prima de potentia, art. III.

ARTICULUS II.

Utrum potentia executiva distinguatur in Deo, nostro modo intelligendi, ab intellectu et voluntate?

I. Supponimus dari in Deo potentiam activam per modum principii respectu effectuum, licet non respectu actionis, ut supra disp. IV, art. II, probavimus, et D. Thomas docet in hac quæstione, art. I ad III. Et dare tale principium creaturarum, quia creaturæ procedunt a Deo, et sunt effectus ejus, et participatæ ab ipso: ergo datur principium in Deo a quo sunt creaturæ. Difficultas est, an hoc principium prout exequens, et operans effectus ad extra sit distinctum attributum ab intellectu, et voluntate.

Multi (etiam ex recentioribus) sentiunt cum Durando in I, dist. XXXVIII,

qu. I, distingui in Deo attributum potentiæ exequentis ab intellectu, et voluntate, sicut in nobis distinguitur realiter potentia motiva executiva a cognoscitiva dirigente, et voluntate inclinante; sic in Deo distinguuntur illa attributa ratione, non realiter.

II. Fundamentum unicum est, quia in Deo datur fundamentum ad distinguendum ratione attributum potentiæ a voluntate, et intellectu, non minus quam alia attributa: ergo non est negandum distingui. Consequentia est certa. Antecedens probatur, tum quia intellectus respicit, et attingit tam rem increatam, quæ est Deus, quam creatam, possibile et impossibile, voluntas etiam attingit Deum, et creaturas, et voluntate inefficaci etiam impossibilia; potentia autem executiva solum rem creatam possibilem attingit: ergo habent sufficiens fundamentum ut distinguantur ratione; tum quia intellectus, et voluntas secundum suas proprias rationes dicunt actus immanentes, ille quidem cognoscendo, et dirigendo, ista libere volendo; executiva autem potentia dicit actionem transeuntem et non est formaliter volitio, sed ex volitione derivatur: hæc enim causalis est vera: Deus creat, quia vult, et a fortiori quia cognoscit: ergo distinguitur a voluntate, et intellectu ratione, tum denique, quia voluntas, et omnipotentia considerantur in Deo per connotationem ad potentias quæ sunt in nobis, in nobis autem distinguitur voluntas a potentia executiva, seu motiva: ergo et in Deo per considerationem nostram. Favet huic sententiæ D. Thomas hic art. I ad IV, in prima solutione.

III. Molina hic art. I, disp. II, tenet potentiam, seu principium operandi in Deo non esse intellectum, et voluntatem divinam immediate, ut

sunt potentiæ intelligendi, et volendi, sed ipsum actum liberum Dei, quo Deus determinate vult hoc esse in tali, vel tali tempore, esse immediatum principium creaturarum. Nam iste actus est efficax respectu objecti sic voliti, et quacumque alia potentia exclusa, ex se est sufficienter efficax ut res fiant: *Quia hoc factum est quod ipse voluisti*, Judith IX: et Psalm. CLXII: *Omnia quæcumque voluit Dominus fecit*, et voluntati ejus non est qui resistat: ergo posita voluntate efficaci, nihil aliud requiritur ut res fiat. Et sic melius intelligitur, quomodo Deus immutabili actu res omnes immutat, quando, et quomodo vult, solum quia vult, sine hoc quod intercedat alia actio, in qua hoc non ita commode intelligitur.

IV. Nihilominus in hac parte distinguendum est, quod potentiam executivam in Deo possumus distinguere ab intellectu, et voluntate dupliciter. Uno modo secundum inadæquatas considerationes, et diversas connotationes extrinsecas. Alio modo secundum diversam rationem potentiæ ad potentiam, ita quod una potentia se habeat ut consequens ad aliam, vel operans ex alia, sicut voluntas comparatur ad intellectum. Et uno verbo, vel potest sumi distinctio attributorum secundum diversas formalitates actuum, seu principiorum formalium intra eandem potentiam, ita quod omnes illæ formalitates vel actus pertineant ad eandem potentiam quasi inadæquate: vel potest sumi distinctio attributorum secundum rationem diversæ potentiæ, et diversas rationes adæquatas, et non solum secundum inadæquatas rationes ejusdem potentiæ, licet intra eandem diversam rationem inadæquatam principii vel actus habeant: sicut intra intellectum divinum diversa attributa distinguimus, tamquam inadæqua-

tas rationes ejusdem intellectivæ virtutis, v. g. sapientia, ars, providentia, et alia similia attributa distinguuntur a nobis ratione, sed intra eandem potentiam intellectus. Et in potentia voluntatis distinguitur justitia, misericordia, gaudium, amor, et similia ut distincta quidem attributa, vel actus secundum rationem, sed intra eandem potentiam, non ut potentiæ distinctæ, sicut sunt voluntas, et intellectus. Et aliqua attributa se habent ut adæquate distincta, licet non sint potentiæ, sicut æternitas, immensitas, unitas, bonitas, non autem se habent ut includens et inclusum, ut inadæquate rationes intra idem attributum, seu potentiam. Si ergo aliud est inquirere, an omnipotentia, ut vis executiva distinguatur ratione ab aliis attributis, ut tamen ratio inadæquate inclusa intra potentiam intellectivam, aliud an sit attributum ita distinctum, quod se habeat nostro modo intelligendi ut potentia distincta a voluntate et intellectu, sicut in nobis potentia motiva a voluntate. Quibus suppositis.

V. Conclusio nostra est: Potentia executiva in Deo non distinguitur ab intellectu, et voluntate tamquam potentia diversa, et attributum adæquate diversum ab illis; bene tamen distinguitur ratione tamquam attributum inadæquatum intra potentiam intellectivam, quatenus dicit connotationem diversi effectus, et formalitatem diversi principii, scilicet intellectus ut intelligens, vel ut practice, et imperative exequens, et producens dicendo, non tamen potentia executiva est formaliter ipse actus liber voluntatis, licet illum præsupponat, et requirat. Tres partes habet conclusio.

Prima negativa, quod non distinguitur ab intellectu, et voluntate adæquate ut potentia diversa.

Secunda affirmativa, quod distinguitur inadæquate, et ut aliquid pertinens ad intellectum, additque supra scientiam, rationem principii productivi ad creaturas, quod utique exercetur per actum intellectus practici, qui est ipsum dicere efficax Dei.

Tertia etiam negativa, quod non est solus actus liber voluntatis formaliter, licet illum præsupponat.

VI. Prima pars sumitur ex D. Thoma, qui id affirmat de Deo, et etiam de Angelis, quod in eis non datur potentia motiva distincta ab intellectu. De Deo id affirmat in hac quæstione, art. I ad IV, ubi licet videatur ponere duplicem solutionem, revera tamen secunda est major explicatio primæ: dicit enim S. Thomas quod: « Potentia non ponitur in Deo, ut aliquid differens a scientia, et voluntate secundum rem, sed solum secundum rationem, in quantum scilicet potentia importat rationem principii exequentis id quod voluntas imperat, et quod scientia dirigit. » Ubi solum loquitur universaliter modo, quod est aliquid differens secundum rationem, et non explicat determinate, an sit differens tamquam attributum adæquate distinctum, et potentia in ratione potentiæ diversa a voluntate, et intellectu; an vero tamquam aliqua ratio inadæquata, et pertinens ad eandem potentiam secundum inadæquatam tamen connotationem, et ut inclusum in includente. Id vero deinde explicat, addendo: « Vel dicendum quod ipsa scientia, vel voluntas divina secundum quod est principium effectivum habet rationem potentiæ; unde consideratio scientiæ et voluntatis præcedit in Deo considerationem potentiæ sicut causa præcedit operationem et effectum. » Ubi aperte docet quomodo potentia executiva distinguatur a scientia, et voluntate, scilicet non

sicut diversa potentia, sed ut ipsamet scientia sub consideratione, et formalitate principii effectivi. Quod est non omnem distinctionem negare secundum intellectus considerationem, sed modum quo distinguatur exponere, scilicet sub consideratione quadam inadæquata ipsius intellectus, vel voluntatis. De Angelis vero quod in eis non sit potentia motiva distincta ab intellectu, disertè affirmat opusc. XII, art. III, dum inquit: « Angelos movere cælos conceptione sui intellectus efficaci, » quod non esset, si per potentiam distinctam moverent cælum, quia actio talis potentiæ non esset conceptio. Hanc eandem partem cum D. Thoma docent ejus discipuli hic Cajetanus, Nazarius, Gonzalez disp. LXXIX, Scotus in I, dist. XXXVII, qu. I, Vasquez hic disp. CII, c. II, quamvis ipse sentiat operari Deum immediate per actum voluntatis, non per actum intellectus, qui sit imperium efficax, cujus oppositum ostendimus supra disputatione septima, agentes de hoc actu imperii, et statim iterum attingemus in prima parte conclusionis.

VII. Fundamentum hujus partis est, quia potentia executiva non ponitur distincta a volitiva, vel imperativa nisi propter aliquam imperfectionem in potentia ipsa: nam potentia exequens quando est distincta a dirigente, et imperante, sed habet ut instrumentum obediens voluntati: de se enim non est potentia cognoscens, aut volens, sed exequens ut naturalis potentia, sed subiecta, et regulata per potentiam imperantem, ideoque directioni ejus subicitur, et se habet ut obediens illi, et ut instrumentum ejus: si enim non obediret, cæco modo operaretur, et secundum totam suam vim ut virtus naturalis. Sic ergo potentia executiva quando est distincta a directiva, seu imperante,

solum servit ut instrumentum ad obediendum illi, et exequendum, non in his quæ pertinent proprie ad se, sed in his quæ pertinent ad potentiam dirigentem, et imperantem, quatenus per se exequi non potest ea, quæ ad se pertinent: et sic exequitur per alterum. Nam aliquando una potentia imperat alteri, non ut pure exequenti, sed etiam ut operanti proprias actiones suas, licet quia dependentiam, et coordinationem habent cum aliis potentiis, ab eis moveri, et dirigi possint: sic enim intellectus movet voluntatem, et voluntas intellectum, aut etiam appetitum, tamen istæ potentiæ motæ, etiam habent suas proprias operationes, nec sunt potentiæ mere executivæ alterius imperantis, et dirigentis. Nos autem loquimur de potentia mere executiva eorum quæ pertinent ad vim dirigentem, ita quod non habeat aliam operationem quam exequi id quod ab altero imperatur, vel ordinatur. Talis potentia dicimus quod nunquam est distincta ab altera ordinante, et imperante, nisi propter aliquam imperfectionem, tum ex parte potentiæ imperantis, tum ex parte ipsius exequentis. Ex parte quidem ipsius imperantis, quia non habet in se sufficientem efficaciam ut res mandetur executioni, nec res ipsæ ad extra perfecte ei obediunt, et subjiciuntur, ideo indiget aliquo distincto a se, quo tamquam instrumento res illæ sibi subjiciantur, et executionem habeat, sicut quia homo manu sua non habet vim scindendi aut frangendi aliud, indiget gladio, vel malleo ad id exequendum, et quia suæ imaginationi, et appetitui non perfecte subjiciuntur organa corporis, et multo minus corpora extra se, indiget virtute motiva, quæ organa moveat, et corpora ad extra impellat. Ex parte autem ipsius virtutis executivæ est imperfectio, quia

non est virtus se movens, et agens, etiam in sua linea, et ordine, sed pure obediens, et mota, et per modum instrumenti se habens respectu potentiæ dirigentis, et imperantis. Potentiæ autem, quæ principaliter, et per se solum sunt instrumenta, et nota, imperfectionem important, et non possunt sic transferri in Deum ut distinctæ ab aliis, quia ex ipsa distinctione contrahunt prædictam imperfectionem.

VIII. Ad rem ergo: Si in Deo habemus fundamentum ad distinguendum potentiam mere executivam a potentia dirigente, et imperante, habemus fundamentum ad ponendum potentiam per modum instrumenti, et operantem tantum obediendo, quod imperfectionem potentialitatis importat, utpote cum se habeat ut pure mota, sic se habet ut distincta per rationem: erit enim per rationem mota, et instrumentalis, et potentialis. Rursus ex parte ipsius potentiæ imperantis ponimus efficaciam minus plenam, et perfectam, et cui non plene subjiciantur, et obediunt res ad extra, et ita indiget compleri quoad istam efficaciam alia potentia, quæ illi res ad extra subjiciat, et sic exequatur. Dei autem voluntati, et imperio imperfectissime creaturæ subjectæ sunt, multo magis quam illa potentia executiva, si in Deo daretur: hæc enim esset divina; et sic non operetur ex subjectione ad intellectum imperantem; creatura autem ex plenissima subjectione ad Deum operatur: ergo immediate voluntas seu intellectus Dei imperans agit in illa, non autem datur potentia executiva in Deo, quia non datur potentia subjecta, et ex subjectione operans; etiam per intellectum, nisi ficte; executiva autem potentia si distinguitur ab imperante, hoc ipso operatur ex subjectione ad illam, et supponit rem ad extra non plene

subjici efficaciam imperantis secundum se, quia indiget medio quo exequatur, et faciat sibi subjici id quod vult, et imperat. Unde videmus quod voluntas ad movendum intellectum, vel appetitum non indiget aliquo instrumento, vel potentia media exequente talem motionem, sed per se immediate una potentia movet, et determinat aliam, sive id fiat per aliquam sympathiam, ut multi putant, sive per aliquam actionem, et impressionem unius potentiæ in aliam, ut nos ex mente D. Thomæ ostendimus libris de anima, quæst. XII, sed quidquid de hoc sit, tamen una ex his potentiis movet aliam per seipsam, et non medio alio instrumento, quia de se perfectam efficaciam habet circa aliam, et alia perfecte ei subordinatur, vel coordinatur. Si ergo creaturæ perfectissime Deo subordinantur, multo magis quam noster intellectus, vel appetitus voluntati, et voluntas vel intellectus imperans habent plenissimam efficaciam de se, utique sine media potentia exequentur, et movebunt, sed immediate per seipsas.

IX. Dices: Non obstante hoc requiritur distincta potentia, non propter defectum efficaciam, vel subordinationis, sed propter necessitatem actionis, quia videlicet ad exequendum, et operandum ad extra, requiritur actio transiens; intellectus autem, et voluntas solum habet actiones immanentes, et sic requiritur diversum principium, et potentia. Sed hæc replica in nostra sententia locum non habet, qui citato loco de anima, ostendimus actionem immanentem non repugnare quod habeat vim transeuntis, tum propter eminentiam super transeuntem, quia altior, et perfectior illa est; tum quia de se est directiva transeuntis, et coordinatur illi, aut subordinatur eam sibi; unde de se petit habere

vim movendi, et tangendi aliquid extra se, id est, imprimendi in aliam potentiam quam dirigit, et subordinat sibi: si enim potentiæ immanentes ex natura sua coordinantur, aut subordinantur, natura quoque non debet deficere in necessariis, ut videlicet possit agere, et imprimere in id quod sibi subordinatur, quia aliter non potest commode dirigere, et movere illam; et si habeat plenam, et perfectam efficaciam dirigendi, et subordinandi, habebit quoque vim exequenti talem motum, quod est illam actionem virtualiter esse transeuntem, seu imprimentem in aliud. Sed esto, non fiat hoc per actionem transeuntem, saltem fit per sympathiam: videmus enim quod intellectus movet voluntatem, et voluntas intellectum, et appetitum, et ipsam vim motivam etiam movet, et dirigit ut obediat ei. Si hæc motio fit per aliquam impressionem actionis transeuntis, habemus intentum, quod actio immanens virtualiter est transiens, vel saltem ipsamet potentia, quæ immanenter operatur, etiam transeunter movet per seipsam; et sic poterit etiam agere in exteriores res, si ipsa potentia sit perfecte efficax, et res exteriores plene ei subjiciantur, sicut potentiæ interiores. Si fit per sympathiam sine actione media transeunte, multo magis habemus intentum, quia hæc sympathia fundatur in colligatione, et subordinatione potentiarum ita perfecta, et in tali subjectione unius ad aliud, quod superiore potentia operante aut volente, inferior statim ei pareat, et operatur. Ergo quod hæc sympathia non intercedat, et ista obedientia erit ex defectu subjectionis, et subordinationis unius ad aliud, et ex defectu efficaciam in superiori, respectu inferioris. Creaturæ autem multo magis subjiciuntur, et subordinantur Deo, quam appetitus nos-